



Universitätsbibliothek Paderborn

Unius Necessarii pars ...

Ubi agitur De Effectibus - qui primi, ac per sese ex notitia Dei consequuntur: De Æstimatione nimirum, in qua habendum, deque ardore, quo amandum est illud incomparabile objectum

Rogacci, Benedetto

Pragae, 1721

Cap. XXX. De sollicito, & inexplebili ejusdem studio, ut magis semper, ac magis Deo placeat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54508](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54508)

tò, si dæmon occultis instigationibus ad noxam capitalem te impellat, promptè, viriliterque tentantem repellere, iis armis utendo, quæ ad id præstandum plùs conferunt. Faxit DEUS, ut æquè tu sedulus sis in hisce adhibendis præfidiis, ac illa tibi erunt ad divinam gratiam in animo conservandam utilia.

CAPUT XXX.

De sollicito, & inexplebili ejusdem studio, ut magis semper, ac magis DEO placeat.

Nullus est amoris fructus jucundior, quàm placere amato, ab eoque vicissim amari. Unde fit, ut amantium quisque mutuam hanc vicem cupidissimè expetat, nec nisi eâ obtentâ quiescat: imò etiam, ubi illius compos evasit, perpetuo, & inexplebili studio eam consequi ampliolem contendat: nihil curans enixiùs, quàm ut plùs semper ei placeat, qui sibi placet, plùsque semper ab eo ametur, quem amat. *Ad hoc præcipuè studium diligentis tendit, ut dilectum ad sui amorem attrahat: & nisi hoc accidat, oportet dilectionem*
dis?

dissolvi. (S. Thomas I. c. sent. c. 151.) Neque
 difficilis investigatu est rei ratio. Cum enim
 amoris finis sit, ut juxta Ciceronem, (*De Amic.*)
Unus quasi animus ex pluribus fiat; quemadmo-
 dum hæc conjunctio, & quasi unitas perfecta
 esse nequit, nisi plures sese invicem comple-
 ctantur; ita neque suum finem plenè assequi,
 & quiescere in eo amans potest, nisi, quem
 intimo benevolentiae amplexu sibi adstrinxit,
 ab eodem per mutuae benevolentiae quasi com-
 plexum sibi adstringatur. *Minus enim, ut ait
 ille, habet amor amoris, ubi se senserit, qui dili-
 git, non amari.* (*Lib. de amic. inter op. S. Aug.*)
 Præterea, ceu philosophatur Marfilius Tici-
 nus, (*In Conv. Plat. Or. 2. c. 8.*) Amantis ani-
 ma nequaquam in amante jam degit, sed in eo
 veriùs, quem amat: ideòque remanens dis-
 junctus à sua anima potest dici quasi cadaver
 sine vita in se ipso. At non pariter, si reda-
 metur; tunc quippe, quam amisit, non recu-
 perat modò, sed & geminat vitam: recipiens
 nimirum intrà se locò suæ redamantis ani-
 mam: imò unà cum hac suam pariter, utpo-
 te quæ huic intimè adhærescit, restimens.
 Quamobrem, si gratissimum cuique est vive-
 re, longè magis gratum erit geminare vitam;
 unde fieri non potest, quin etiam gratissimum
 cuique sit ab eo redamari, quem amat.

Hhh 2

2. Hæc

2. Hæc cum ita se habeant, quo non studio incitari amantem DEI animam decet, ut illius sibi amorem conciliet, ut objectum ei quàm gratissimum sit, ut denique juxta Isaiam, (c. 62.) *Complaceat in ea Dominus, & gaudet super ea DEUS suus?* Verum quidem est, neminem non redamari à DEO, qui eum amet, mutuique hanc amoris vicissitudinem contestatam ab eo esse, dum in proverbiiis affirmavit: (c. 8.) *Ego diligentes me diligo.* Sed nimiùm quàm frigidè tantum Dominum amat, nimiùmque quàm demissè præcellentissimos æstimat intimæ cum eo necessitudinis fructus, qui satis habet, quocunque communi, & vulgari modo ab eo redamari: nec potius toto suarum virium nisu contendit, quàm maximè eximium in illius benevolentia, atque gratia sibi locum mereri: removendo diligentissimè ab anima, quidquid imperfectionum displicere illius oculis potest, & addendo eidem omnia illa ornamenta, quibus capi, & delectari ipsum constat: *unum*, uti B. Petrus Damianus commendat, (L. 5. Ep.) *solerter attendens, & intrà semet ipsum sollicita semper inquisitione versans, utrùm scilicet placeat DEO, quod agat, & an ejus vitâ, vel operibus DEUS delectetur.* Nam ut addit Chrysostomus: *hoc est ma-*

ximum omnium, Christum simul amatum, & amatorem habere. Si enim hoc in hominibus contingens omni voluptate superius est; cum hac utraque circa DEUM evenerint; qui sermo, quæ mens exprimere poterit hujus animæ beatitatem. (Hom. 64. ad Pop.)

3. Et verò numquid non quotidie intuemur, quàm hoc in genere accurata sit, & nunquam expleri sciat humani amoris sedulitas? Quid non facit mulier, ut eorum oculis placeat, quos studet in sui amorem pellicere? Quas artes prætermittit? Quibus industriæ conatibus parcat? Quid temporis non absomit in se perpolianda, exornanda, in venustate venustati, & pulchritudine pulchritudini addenda? En illam plures horas speculo adstantem, Argo quovis oculatiorem, cum toto muliebri mundo, ampullis, myrotheciis, fucis, calami- stris, & quibus non formæ expoliendæ instrumentis: *tanquam famæ discrimen agatur, aut animæ: tanta est querendi cura decoris.* (Juv. Sat. 6.) Nihil non in vultu observat; nihil non sollicito intuitu pluries respicit. Hæc maculæ vestigium superest, deleatur penitus. Ruggæ hæc lineola apparet, complanetur. Hic capillus reliquorum ab ordine exerrat, ad justæ concinnitatis normam redigatur. In sum-

ma, nullum finem facit multiplicandi lotiones, unctiones, phaleras, & quidquid gratiorem reddere illius speciem intuentibus potest: varians pluries ornatus, donec maximè concinnum repererit: jam ad hanc, jam ad illam se componens formam incedendi, flectendi capitis, subridendi, diducendi labra, oculosque intendendi: quoad speculum diu anxie consultum respondeat: hæc inter omnes elegantior, lepidiorque, & ad placendum aptissima est.

4. Ah, Lector amice, tu forsitan tacitè me reprehendis, quòd hæc tibi fæmineæ vanitatis exempla proponam. At quantò justior mihi esset causa, te, & quidem non tacitè reprehendendi, si ea circa interiorem tuam pulchritudinem, & placendi DEO curam imitari negligeres? Cùm aliòquin testatum in Exodo habeas, labrum illud æneum, in quo DEI jussu ablui Sacerdotes debebant, priusquam ingrederentur *Sancta Sanctorum, factum fuisse de speculis mulierum, quæ excubabant in ostio tabernaculi.* (c. 38.) Ideò fortasse, ut ex scrupulosa attentione, qua hæc se aspectarant, & complebant, condiscerent sacrorum Ministri, quanto ipsos quoque studio par esset ad dignè apparandum coram DEO se ibidem observare, &

ex-

excolere. Non exigui certè pudoris materia est animæ supremo Regum Regi desponsatæ, & perfectam cum eo conjunctionem profitenti, non iis uti ad satisfaciendum ipsi artibus, quas alii adhibent placendi causâ hominum oculis: sed contentam, (quod neque ab infimis fervorum negligitur) qualicunque in gratia ipsius locò nihil pensi ultra habere, cujusmodi ante ipsius oculos munda, an sordida, ornata, an incompta, pulchra, an deformis appareat. Quam in rem digna memoratu est animadversio B. Nonni Edesseni Antiflitis, cum S. Pelagiam aliquando vidisset, qualis ante conversionem suam erat profano luxu diffluens, & fœdis omnino amoribus dedita. (*Ribad. Extr. in V. S. Pel.*) Concionabatur vir sanctus Antiochiæ coram Episcopis ad sacram Synodum ibi coactis: cum interim accidit, præter fores templi transire famosæ illam nequitix mulierem, usque adeò pigmentis, unionibus, phaleris, & toto fæminæ artis mangonio circumquaque excultam, ut vanitatis idolum videretur. Quare stomachati, offensique venerandi illi Præsules vultum non sine gemitu ab indigna illa specie averterunt. At non etiam Nonnus. Quin imò & peculiari cum attentione defixos in prætereuntem Pela-

giam oculos tenuit; & postquam è conspectu abierat, conversus ad collegas quæsiuit, numquid delectati essent illius fæminæ ornatu, atque pompa. Quibus tacentibus subiecit: ego certè non exiguam voluptatem inde hausi, doctus nimirum, qua cura exornare meum animum debeam: sed parem simul pudoris, verecundiæque sensum, quippe cùm viderim, quantò illa solertiùs commendare se hominum oculis ad suam, eorùmque perniciem studeat, quàm divinis ego ad æternam salutem, & spiritualem meum profectum placere. Neque ullus dubito, quin velut ego, & permulti mei similes occasionem, quantum est in nobis, præbamus DEO, erubescendi quodammodo, cùm hanc fæminam videat luteorum homuncionum gratiam enixiùs aucupari, quàm nos suam; sic in extremo iudicio producturus eandem sit, ut summo nostro cum rubore hanc nobis tantò minorem inter infinitè majores ejus causas, sollicitudinem exprobret: non secùs ac Judæorum pervicacitati comminatus est, fore, ut redarguerentur mulieris alienigenæ exemplo: *Regina Austri surget in iudicio, & condemnabit generationem hanc.* Ità tunc sanctus Præsul absurdissimam pendens antithesin, exactissimæ hinc diligentia,

tiæ, qua filii hujus sæculi viles quosdam terræ vermiculos allicere in sui amorem conantur; & nullius indè apud servos DEI curæ, ut cælesti suo Domino gratos sese, & amabiles reddant.

5. Reliquum ergo est, ut juxta D. Pauli adhortationem, (2. ad Cor. c. 7.) *Mundemus nos ab omni inquinamento carnis, & spiritûs, perficientes sanctificationem in timore DEI*: nempe ut, fideum revera diligimus, gravissimi instar mali pertimescamus, & quanta possumus contentione excludere à nobis nitamur, quidquid spirituales nostram integritatem coinquinare ullatenus potest: adeo ut *secundùm eum, qui vocavit nos, sanctum, & ipsi in omni conversatione sancti simus*: (Petr. 1. c. 1.) nullo permittentes modo, ut quidquam in nobis illi occurrat mendosum, inconcinnum, distortum, nec plenè approbari ab eo dignum. Hæc siquidem, teste Cassiano, germana, & maximè propria est DEUM castè, & ritu filiorum timentis nota, (Coll. II. c. 13.) *ejus non solum verbera, & convicia, sed vel tenuem amoris offensam formidare, atque in omnibus non solum actibus, verùm etiam verbis attonita pietate distendi, nè erga se quantulumcunque fervor dilectionis illius intepescat*. Et verò, parùmne anima, esto gravium scelerum pura, in se habet, quod corri-

gat, inque melius reformet? Aut parùm illi obest, nè à cælesti suo Sponso intimioris benevolentia significationibus foveatur, apparere illi maculosam venialibus noxis, & terrenis affectibus sordidam? Testetur pia illa apud Nierembergium anima: (*Vit. Div. c. 34.*) cui ob unius culpæ venialis reatum subtracta per solidum annum à DEO sunt, quibus frui aliàs consueverat, peculiaria cælestium visitationum, & revelationum charismata. Quare suspirans agebat: non leve profectò est illud crimen, quod tam diutinâ luitur DEI amici, & faventis absentia. Nimis ah perfecta est mundities, quam à nobis exigit Dominus, dum suam nobis ad exemplum proponit, dicens: (*Levit. 11.*) *Sancti estote, quia ego sanctus sum.* Adeò perspicaces illius oculi sunt ad deprehendendas vel invisibiles nobis maculas, ut ipsimet *cæli non sint mundi in conspectu eius:* (*Job. c. 15.*) adeoque simul delicati, & ab omni fœditate abhorrentes, ut jure affirmet Propheta: (*Habac. 1.*) *Mundi sunt oculi tui, nè videas malum, & respicere ad iniquitatem non poteris.* Quid plura? *Elegit nos ante mundi constitutionem, ut essemus sancti, & immaculati.* (*Ad Ephes. c. 1.*) Neque contentus, qualemcunque legum suarum observationem à nobis re-

qui-

quirere; eâ custodiri diligentîâ illas jubet, quæ
in custodienda oculi pupilla adhibetur: *Serva
legem meam, quasi pupillam oculi tui. (Prov. c. 7.)*
*Ut scilicet, juxta explicationem Salviani, quàm
pura est pupilla oculi, tam purâ esset Christiani ho-
minis vita: & sicut pulveris labem in se oculus non
reciperet, sic vita nostra labem impudicitæ in se pe-
nitens non haberet. (L. 3. de Prov.)* Et fieri ta-
men posse arbitrâmur, ut, qui formæ inte-
rioris puritatem, elegantiam, concinnitatem-
que impensè adeò diligit, & perfectam adeò
esse in suis vult, blando visu respiciat, aman-
tibusque osculis, & complexibus dignetur a-
nimam, terrenarum cupiditatum illuvie, &
purulentis culparum, etiam si non lethali-
um, ulceribus undique obsitam? Quàm exquisitis
cultibus, & munditiis per unius anni spatium
in regio Sufis Gynecæo præparari, atque co-
mi, priusquam in conspectum suum adduce-
rentur, Assuerus voluit puellas, è quarum nu-
mero sponsam sibi erat lecturus? Et à supre-
mo cæli Regnatore nihil apparatus, & cultus
requiri in animabus dicemus, mystico, & spi-
rituali connubio secum jungendis? adeò ut si-
nè ullo delectu, & discrimine universas seu
maculosæ, seu mundæ, seu fœtidæ, seu bene-
volentes, seu incultæ, seu comptæ, seu turpes,
seu

seu decoræ fuerint, æquè approbaturus, & ad intimam sui amoris communicationem admissurus sit? Aliud est penes magnum principem famulæ, aliud sponsæ locò esse. In prima, utpote quæ nunquam conclave Domini ingreditur, vixque obiter aliquando sub aspectum illius venit, facilis toleratu est oris deformitas, vestium squalor, morum, gestuumque inconcinnitas, neque princeps indè offendi consuevit. At in altera, quæ cum ipso conversari assiduè, & familiariter debet, nihil potest indecorum, atque absonum ferri, sed perfecta in omnibus elegantia, & venustas requiritur. Quam si illa neglexerit, quid aliud expectandum porrò habet, nisi ut sponsus incultam, sordidamque aversetur, fastidiat, & suo à complexu repellat? *Illud velim non ignores, (verba sunt Nazianzeni ad quamcunque animam DEO desponsatam) rugam unam tibi turpiorem esse, quàm maxima vulnera iis, qui in seculo vivunt. Neque enim tam notabilem in sordidis, quàm in puris vestibus labes aliqua fœditatem habet. (Or. de Fuc.)*

6. Quænam igitur praxis observanda hoc in genere homini erit, qui peculiarem DEO amando, intimèque cum eo necessitudini operam navat? En illam paucis comprehensam

fam capitibus. Debet primò, qui hujusmodi est, ardens in suo animo desiderium fovere, dilecto suo Domino, quàm maximè possit, placendi: ità ut nihil non omnino ipsi gratum in se habeat, mereaturque ab eo audire: *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te: assiduè secum ruminans: éstne in me aliquid, quod DEO meo minùs arrideat? Quidnam cavendum mihi est, nè ullam purissimis ejus oculis vel minimæ offensionis materiam præbeam? Quidnam faciendum, ut coram eo appaream, instar dilectæ suæ Ecclesiæ, non habens maculam, neque rugam, útque ille possit de me etiam plena cum approbatione profiteri: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui? Euge, anima mea, centum oculos super te aperi. Multiplica excubias circa tum externos, tum interiores tuos actus. Non sufficit qualiscunque vigilantia: parva est, si esse major possit. *Omni, omni custodia serva cor tuum. (Prov. 4.)* Nimis magni momenti res est, de qua agitur. Agitur, ut DEO magis placeam, ut à DEO amer impensius. Quæ diligentia in tali negotio nimia, quod pretium in tali merce possit magnum videri? *Si dederit homo omnem substantiam domûs suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eum. (Cant. 8.)**

7. Se-

7. Secundò, hujusce desiderii stimulis punctus, debet quotidie summa cum mentis attentione conscientiam suam discutere, & perpolire: neque id semel, aut iterum, sed quàm sæpissimè, saltèm post quamlibet præcipuarum diei actionum, vel prout D. Bonaventura commendat, toties quot sunt Canonice officii divini horæ: ità ut ante, vel post harum singulas (To. 2. Memor. 25.) *discutiat attentissimè, qualiter de hora in horam ambulaverit dignè coram DEO sinè macula*: altera manu speculum, altera peniculum tenens: speculum quidem considerationis, in quo se undique circumspiciat, observetque, num ab omni labe integer animæ suæ habitus sit, juxta illud Jobi dictum: *Verebar omnia opera mea, sciens, quòd non parceres delinquenti: (c. 9.)* & illud Salomonis, (Prov.) 28. *Qui inquirunt DEUM, animadvertunt omnia.* Peniculum verò emendationis, quo statim detergat, quidquid sibi pulveris, aut luti, & aliarum sordium cum spiritualis suæ puritatis inquinamento adhæsisse deprehenderit. De sancto quidem Patre meo Ignatio scriptum legimus, (Bart. Inst. L. 4. n. 25.) nequivisse illum percipere, quoniam pacto placere DEO quispiam cuperet, nec suo cordi quàm celerrimè examinando, repurgando, & per-

perficiendo operam daret. Quamobrem ; cum aliquando percontatus nescio quem suorum, quoties se examinasset eo die? septies à se id factum audisset, non finè admirationis specie, heu! tam rarò subjecit. Et rarum id sanè præ illius consuetudine erat, qui juxta Abbatis Dorothei regulam, docentis: (*Serm. 16.*) *Opus esse, singulis horis nos ipsos exquirere, ac perscrutari diligentissimè*; nullam diei horam sinebat elabi, quin omnia brevi illo temporis spatio à se dicta, facta, & cogitata severissimum ad examen vocaret, singulis toties diebus animam suam coram DEO reconcinnans, & ad exactiorem puritatem in subsequenti hora custodiendam instaurans.

8. Tertiò, si quando publicam quampiam obiturus functionem anxia se solitudine, & cura urgeri sentit, satisfaciendi iis, qui interfuturi sunt; erubescat, quòd minùs sollicitus fit de promerenda DEI approbatione in quotidianis suis actibus, cum tamen his singulis interesse illum noverit, neque tantummodo ut spectatorem, sed ut exactissimum etiam censorem. Et hujusmodi comparatione se stimulet ad tantò majorem hìc diligentiam, industriamque adhibendam, quantò pluris faciendà est DEI unius, quàm generis humani
uni-

universi approbatio. Nam, si cordato cuilibet viro majori multò curæ est egregiè suas partes obire coram Rege, quàm coram ipsius famulis, illumque unum, quàm hos omnes laudatorem habere; quidni etiam justo cuius rerum æstimatori sollicitiùs satagendum, curandumque sit, ut DEO universitatis totius Rectori supremo, quàm ut, quotcunque sunt, mortalibus, infinis nempe illius servulis placeat.

9. Quartò, ubi occasio culpæ alicujus committendæ se offert, debet hanc, esto cæteroqui venialem, cum nausea, & horrore intueri, tanquam fœditatem DEO exosam, nec dissimili studio vitare, ac nobilis sponsa cum magnifico ornatu ad nuptias, & sponsi domum proficiscens, obviam in itinere devitet lacunam: dicendo intrà semet ipsum: *Lavæ pedes meos: quomodo inquinabo illos?* Itane ergo tam frivolæ rei causâ, nè exiguam mihi vini afferam, & pravam hanc cupiditatem coërceam; indignum me velim reddere peculiari benevolentia, quam animabus puris DEUS exhibet. Nec aliam re ipsa, testatur Maffejus, hoc in genere S. Ignatii diligentiam, & circumspersionem fuisse: solliciti nempe, (*In Vit. L. 3. c. 1.*) *Non minùs accuratè animum ab*
omni

omni labe tueri; quàm qui pretiosis induti vestibus
 viâ lutulentâ coguntur incedere. Ah nimii mo-
 menti res est, placeâsne, an displiceas Deo?
 objectumne omnimodæ approbationis, an
 aliqua ex parte improbandū illius oculis sis?
 Anima, quæ compertum id habet, totôq; cor-
 de cælestem suum suum Dominum amat, juxta
 D. Bernardi sententiam, (*De Tripl. Cohær.*) Hor-
 ribilius ipsâ gehennâ judicat, in levissima re vul-
 tam Omnipotentis scienter offendere. Cui sen-
 tentiæ B. etiam Catharina Genuensis subscri-
 bit, dicens: *pluris ab amore divino aestimari im-
 perfectionem unam vel minimam, quàm, quotquot
 imaginari mens possit, gehennas.* (*In Vit. c. 15.*)

10. Quintò, ubi ex incuria, & humana
 fragilitate (quandoquidem *non est homo justus
 in terra, qui non peccet, Eccles. 7.*) in levio-
 rem noxam eum labi contigerit, debet illam
 vix animadversam, edito illicitæ pœnitentiæ a-
 ctu obliterare, ac firmam voluntatem conci-
 pere, cautiùs deinceps in divino famulatu am-
 bulandi: & omni dimissa præteriti lapsûs me-
 moria, operibus, quæ agenda tunc instant,
 omnino quietè vacare, ac si nulla in re deli-
 quisset. Si enim irasci DEUS animæ dicitur
 ob ejus culpas; accipiendum id est non de
 culpis ab ea imprudenter commissis, pœrque

pœnitentiam retractatis: sed de iis, quarum ipsa etiamnum voluntatem fovet, non tantum malè operata, verum etiam, ut Ecclesiastes ait, (c. 8.) *Permanens in opere malo*: quæque, juxta ejusdem allegoriam, quasi muscæ, non modò ad vas odoratum aspirantes, sed in eo insuper morientes, perdunt suavitatem unguenti. (c. 10.) Nè igitur quantacunque culparum venialium frequentia perturbari spirituales lætitiâ, & tranquillitatem suam sinat. Sed Joannem Chrysostomum audiat, monentem: (Hom. 28. ad Pop.) *Cùm vitium corrigere cœperis; si postea semel, vel secundò, vel tertio, vel vigesimò legem transcenderis, nè desperes, sed iterum surge, & studium tuum resume.* Credâtque Salomoni, discrimen inter justum, & impium haudquaquam in eo esse, quòd hic cadat, ille verò ab omni lapsu abstineat: sed, quòd alter ibi jacere pergat, ubi cecidit; alter autem quàm primùm resurgat. *Septies cadet justus, & resurget; impii autem corruent in malum.* (Prov. 24.)

II. Postremò, fovere semper in animo curet insatiabile ulterioris perfectionis studium, quod D. Augustinus requirit: (Serm. 15. de Verb. Ap.) *Semper tibi displiceas, quod es, si vis pervenire ad id, quod nondum es.* Nam ubi ti-

bi

ibi placuisti, ibi remansisti. Semper adde, semper ambula, semper profice. Adeò ut, quantumcunque excellens interior sui animi pulchritudo, & puritas sit; haud tamen in illa acquiescat, sed veluti minorem ea, quam consequi posset, ac vellet, augere illam semper conetur: antiqui ejus sculptoris ritu, qui, teste Plinio, cognomentum est nactus ab infinita in suis perficiendis operibus cura, (*Lib. 34. c. 8.*) *Semper calumniator sui, nec finem habens diligentiae:* vel potius regii Prophetæ, ac Principis Apostolorum exemplo, quorum hic, cum audisset, illotis pedibus nequaquam se intraturum in regnum cælorum; non illos duntaxat, sed & manus, & caput cælesti Magistro ablunda obtulit, dicens: (*Joan. 13.*) *Domine, non tantum pedes, sed & manus, & caput.* Ille verò nullam satis puram puritatem existimans, usque *amplius lavari ab iniquitate sua, & super nives dealbari* expetebat. (*Psal. 50.*) Nam quo pacto immortalem suum Sponsum dignè à se amari anima ostenderet, quæ, potens pulchrior illius oculis, pulchriorque apparere, atque ità majorem illius benevolentiam mereri, diceret, satis mihi est, tantum duntaxat ei placere, ab eoque diligi? At verus DEI amor, teste D. Bernardo, hujusmodi limites nescit:

sed cum Apostolo, *quæ retro sunt, obliviscens; ad ea verò, quæ priora sunt, extendens se ipsum, quoad locus superest progrediendi ulteriùs in dilecti gratia, nunquam arbitratur se comprehensisse, nunquam dicit, sufficit: sed semper esurit, sititque justitiam: ita ut, si semper viveret, semper justior esse contenderet, semper de bono in melius proficere totis viribus conaretur.* (Ep. 254.) Quod ipsum prior itè Cassianus docuerat, affirmans, quò quisque sit purior, eò luculentius perspicere, quid sibi majoris puritatis desit. *Quantò magis profecerit mens humana, & ad sinceriores contemplationis pervenerit puritatem, tantò se immundiores quasi per speculum sue puritatis inspiciet. Quia necesse est, ut, dum animus ad sublimiorem se extendit intuitum, & majora, quàm agit, prospiciens concupiscit; illa, in quibus est, ut inferiora despiciat. Plura siquidem denotat sincerior obtutus, paritque sibi majorem reprehensionis dolorem irreprehensibilis vitæ.* (Coll.

23. c. 20. & 21.)

